


# PALAESTRA LATINA



ANN. XXIII — N. 139

MM. MAJO et JUNIO

AN. D. MCMLIII

# Summarium

Cl. vir Eustachius Echauri vita functus . . . . .	<i>Josephus Jiménez</i>
Romanorum institutiones . . . . .	<i>Leo M. Sansegundo</i>
Nova et vetera: De re athletica . . . . .	<i>Joseph Holzer</i>
Appendix ad Demetrium «de elocutione»	<i>Emil Orth</i>
Albius Longus sibi somnia fingit . . . . .	<i>R. Sarmiento</i>
Cursus gymnasticus. . . . .	<i>Josephus M. Mir</i>
Per Orbem . . . . .	<i>Roca - Palaestricus</i>
Bibliographia . . . . .	<i>González - Molina</i>

## EDITORIAL SPES

Domicilio social: Paseo de Carlos I, 149  
SERVICIO COMERCIAL: Av del Generalísimo Franco, 259  
BARCELONA - 13

## V O X

### DICCIONARIO GENERAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA

Prólogo de Ramón Menéndez Pidal  
Segunda edición revisada y notablemente ampliada por el  
Profesor Samuel Gili y Gaya

Las novedades más sobresalientes de esta edición constan en la amplitud con que se han acogido los neologismos; la incorporación de las voces americanas; el tratamiento de la sinonimia, nuevo en los diccionarios españoles; la reforma y puesta al día de centenares de etimologías; la mejora de gran número de definiciones.

Un volumen de 1856 págs. de 17 x 15 cms. puleramente impresas sobre papel de fabricación especial. Encuadrado en tela y oro con sobrecubierta a todo color, Ptas. 250; en media piel, Ptas. 300; en piel, Ptas. 350.

Ordinarli ac Superiorum licentia

# PALAEASTRA LATINA

PRETUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.  
Scripta ad Moderatorem: Conde, s, Barbastro (Huesca)

## Cl. vir Eustachius Echauri vita functus

(20 - IX - 1873 † 6 - I - 1953)

Postridie nonas januarias vertentis anni Matriti, post diutinas et acerbissimas corporis aegritudines patientissime perpessas, Eustachius Echauri, vir clarus atque humanitate plenus, piis Ecclesiae auxiliis sancte refertus, animam Deo reddidit. Quanta vero fuerit amicorum et clientum copia, pompa funebris, nequaquam minima, satis ostendit.

In commentariis et scriptis periodicis notulae nonnullae vulgatae sunt hujus tanti viri merita celebrantes, nunc vero PALAEASTRA LATINA, cui noster Eustachius totiens arrisit quamque verbis amicis saepe prosecutus est, non potest non ipsius inclitum nomen in hac pagella pullo redimita, litteris caelare aureis.

Quid vero de amici dulcissimi et desideratissimi vita et ingenio? Vir fuerat exquo quidem corpore, in quo tamen animus nobilis, amplissimus, acerque vigebat. Ipsius vita magnum praebet laboris exemplum et ad litterarum et scientiae philologicae cultum et ad mores christianos illibatos enixe servandos.

Omnibus quidem animi virtutibus insignis, memoria tamen facile excellebat. Omnes fere linguas hodie in Europa vigentes perceperat optimeque callebat. Antiquis praeterea, Indica videlicet, Hebraica, Arabica, sed praesertim Graeca et Latina erat plane eruditus. Scriptorum et poetarum tum praeteritorum tum recentium opera ita manibus tractabat et evolvebat ut memoria optima quaeque eorum frusta teneret, quae data occasione mira stipatorum amicorum admiratione ex ore ejus accurate profluerent.

Gadibus, Barcinone, Matriti litterarum Latinarum praesertim et Graecarum magister exstitit et quidem egregius. Jam a teneris unguiculis vi mentis et raro ingenio inter pares enitere visus est. Pampelone, puer tantum quinque annorum erat cum in certamine publico inter scholares a praefecto civitatis ordinato ipse maximo praemio donatus est. Postea ubicumque litteris certaverat, gloriosas reportavit victorias.

Dum litteris scientiisque ecclesiasticis in seminario Pampelonensi vacabat, sic inter collegas caput efferebat «quantum lenta solent inter viburna cupressi». De via vero incepta decessit, se indignum reputans tanto munere ac dignitate, et ad folia periodica conscribenda se contulit. Quo in munere tanta fama claruit ut mox, vix ab adolescentia egressus, in moderatorem sit cooptatus. Sed aetas illa inquieta erat et turbida animique variis factionum motibus agitata. Moderator noster cuius ingenium ad vera et bona non modo non demissum et fragile, sed rectum et obstinatum erat, tempestate in eum coorta, in exilium pergere pauper et humilis coactus est.

Aliquot post annos in Hispaniam reversus totus se litteris contulit et dum scholas in universitate Matritensi terebat omnium magistrorum admirationem movit.

Nihil mirum igitur si postea, cum ad cathedras adipiscendas aderat, semper princeps inter competitores excedebat.

Magna spes erat in hoc egregio magistro posita; sed fere evanuit. Opera etenim tanti ingenii virtute parta, quamvis praeclera, exigua quidem sunt.

Linguae Latinae Grammatica, Scriptorum Latinorum Historia, Dictionarium Latinum Hispanum, Lexicon Graecum Hispanum (adjuvante Dre. I. M. Pabón), Anthologia Latina (et Graeca: «Libro de lectura griega»): haec sunt opera praecipua quae nobis Dr. Echauri reliquit, quae tamen signum tantum, minime indicem hujus egregii animi diceres, cum revera vim amplissimam, humanitatem cultumque ipsius nullo modo ostendant.

Scripsit quoque frequentes notulas philologicas, quas, etsi pro pane lucrando in foliis periodicis vulgaverat, acrem animum raramque rerum cognitionem demonstrant.

Lugendum tamen est Eustachium carissimum obiisse quin opus excelsum de re philologica aut stilistica conscripserit. Sed hoc ei non omnino vitio damus, sed temporibus quibus ipse parere debuit. Re quidem vera amabat potius discere quam docere. Malebat otium ad auctores novasque rerum noticias conferre et diu noctuque de mentis sua perfectione agere; parum de cogitationis suis aliis tradendis curabat.

Ceterum christianam vitam, qua jam a puerō imbutus erat, quamque in Seminario excolere sategerat, usque ad summam senectutem indefessus retinuit totoque corde vique mentis coluit.

JOSEPHUS JIMÉNEZ, C. M. F.

Salmanticae.

# Romanorum institutiones

## V. — De diis Romanorum propriis

In sequentibus, quae quidem de diis Romanorum propriis agunt, non alienum a muneris nostri ratione duximus paucum immorari, eo vel magis quod pauci sint scriptores, qui de his Romanorum numinibus disputaverint. Res proinde in obscuritate est, quam tamen lectoribus pro viribus in lucem pandere conabimur.

In antiquissimis Romanorum diis, quos non a Graecis mutuati, ceterum cum vicinis populis communes habuisse videntur, ponimus Terminum, Consum, Dium Fidium, Quirinum, Janum. Hi majoris sunt momenti. De reliquis vero infra nobis dicendi patebit campus.

**Terminus.** Termini cultus a Numa, ut multae Romanorum religiones, repetitur. Is sacrum esse sanxit, qui agri limitem vi classet (Cfr. PLUT. *in Numa*; DIONYS. ALIC II, 74); simul, concordiae vinculum, festum instituit, quod in agricium confinio vicini celebrabant (*Terminalia*). Exstructa de cespite ara, munera rutilis, fruges, vinum, mel in flamas conjiciebant, post agnam quoque aut porcam immolantes; cuius sanguine dei simulacrum, lapis stipesve agros separans, adspargebatur. Eundem sertis et libis donabant, hymnis quoque laudantes (Cfr. OVID. *Fast.* 2, 641 sqq.; *Tib.* 1, 1, 17). Notissima ejus fuit ara in monte Capitolino; ubi cum templum Jovi condendum, interrogatis diis, quorum eo loco arae erant aut sacella, vellentne Jovi cedere, solus Terminus restitit. Sic ara templo incusa, foramine supra in teatro relieto, quoniam sub die colendus. Obscuratio Termini faustum omen visa est, pignus immoti suis finibus imperii, ita tamen, ut proferri possent. Unde iudicavit Vergilius: «Capitoli immobile saxum» (*Aen.* 9, 448). (Cfr. etiam LIV. 1, 55; OVID. *Fast.* 2, 667 sqq.; LACTANT. *de falsa Relig.* c. 20).

Ceterum, Terminator etiam dicitur, verbale scilicet a Termino, qui terminos ponit. Ovidius. «omnis erit sine te litigiosus ager» (*Fast.* 2, 659) Et Augustinus: «Ipse sit Juppiter in merce Mercurius, in Jano janitor, in Termino terminator» (*Civ. Dei.* 4, 11).

**Consus.** Potius quam nomen, epitheton esse existimatur dei ignoti sive absconditi (DIONYS. ALIC. II, 100, *Sylb.*) Celebrabatur enim in ara subterranea, ita ut argui possit sic vocatum esse pro «conditum». Contra sunt qui ita dictum putant ab obsoleto «conso, is», pro «consulo, mente condo», quod deus consiliorum secretorum sit. Quod autem ara ejus sub terra esset, significabatur consilia, praesertim majoris momenti, teata esse oportere, ut Servius docet ad Verg. *Aen.* 8, 635 636. Tertulianus in *Spect.* 5, scribit eam aram se vivo defossam esse in circu ad primas metas cum inscriptione hujusmodi: «Consus consilio, Mars duello, Lares comitio potentes» (Cfr. TAC. ANN. 12, 24). Idem cum Neptuno, modo equestri, modo terram quassante confusus est, aramque, ut dixi, subterraneam habuisse fertur, tanquam vel terram tenens, vel consilia condens (Cfr. DIONYS. ALIC. II, 31;

FESTUS in *Consualia*). Praeterea, antiquissimum unumque Sabinorum et Romanorum numen fuisse nonnulli suspicantur, diversis nominibus diversis locis appellatum. In ejus honorem celebrata Consualia, ludi circenses (Cfr. LIV. I, 8-9; OVID. *Fast.* 3, 199). Denique, pro certo esse videtur, primum ludos huic deo fecisse Romulum, quando consilium init rapiendarum Sabinarum, ut tegeretur illa deliberatio, et succederet, ut est apud OVID. *Fast.* 3, 195, sqq. et SERV., loc. allato.

Dius Fidius. Unica voce Diusfidius, itemque Mediusfidius, vel Medius Fidius appellatur. De etymo non una est veterum, nedium recentiorum, sententia. Aelius apud VARR. L. L. 5, 10, 66: «Dium Fidium dicebat Dionis filium, ut Graeci Διοσκόρον Κατοrem, et putabant hunc esse Sancum ab Sabina lingua, et Herculem a Graeca». (Cfr. SERV. *Aen.* Verg. 4, 204 et 8, 103, 275, 301). Quicquid autem est de etymo, hic tribus nominibus venisse, nempe «Semo», «Sancus», «Fidus», canitur (OVIDIUS, *Fast.* 6, 213, sqq.):

Quaerebam Nonas Sanco Fidione referrem,  
An tibi Semo pater, cum mihi Sancus ait:  
Cuicumque ex illis dederis, ego munus habebo:  
Nomina trina fero: sic volvere Cures.


Fidius autem simpliciter dicitur in sacris Argeorum, apud VARR. L. L. 5, 8, 52. Antiquiore inquam nomine Semo, vel Semo Sancus aut Sangus vocatus (LIV. 8, 20), arguentibus vocalibus, erat deus pactionibus praesidens, quo nomine Fidei deae cultum Numa insituuisse fertur (cfr. LIV. I, 21; DIONYS. II, 134), repugnante Ciceronis testimonio (*De Nat. Deor.* 2, 23). Ut vero supra rettuli, Sancus vetustum Sabinorum numen (LACT. *de Fid. Rel.* I, 15), unde et heros Sabinus dietus, idemque inter deos indigetes relatus est; postea autem cum Hercule Graecorum confusus (cfr. PROP. 4, 10, 71); et congruebat, quod per utrumque jurabant («me Dius Fidius», «me Hercule»), et utrique propter viam sacrificabant (cfr. FEST. in *propter viam*).

Quirinus. Nomen, ut videtur, ab hasta, quae Sabinorum lingua «quiris» sive «curis» appellabatur, ita ut «quirinus» ab origine dictus fuerit miles hasta armatus. Exinde, Romulus, postquam vita est functus, et deus habitus, cognominatus est Quirinus (OVID. *Met.* 14, 805; VERG. *Aen.* I, 296). ENN. apud Non. 2, 394: Teque, Quirine Pater, veneror, Horamque Quirini.

Unde minus miremur vetustissimi illius numinis memoriam paulatim penitus extingui potuisse, cultu in cognomines deos translato.

Addit Servius posse etiam a Marte duci, cuius filius est habitus: quia Mars, cum saevit Gradivus dicitur, cum tranquillus est, Quirinus: hinc duo ejus templo apud Romanos fuisse, unum sub nomine Quirini, intra Urbem, quasi custodis, sed tranquilli; alterum Gradivi, quasi bellatoris, extra Urbem, via Appia prope portam Capenam (VERG. *Aen.* 6, 860). Ergo, Quirini pariter cultum, suadente etymo, a Sabinis petitum, et cum ipsis Romanum translatum esse potissimum crederes.

Jani origo prorsus obscura est, ut et aliorum deorum fere omnium. In Italiam (inde Janiculum, VERG. *Aen.* 8, 3), ille ante Saturnum appulit, adventantemque



postea Saturnum benigne exceptit. Non ex illorum deorum numero fuit, quos Consentes Romani appellabant, neque etiam ille in duodecim deorum numero ab Ennio positus est, ex quo numero Saturnus quoque exulat; conferantur quae de eo pluribus refert Macrobius I, 6 sqq.

Janus ab eundo, ut est apud Cic. *De Nat. Deor.* 2, 27; et uti constat ex Ovidio *Fast.* I, 90, Graecum par ei numen non reperiri; sic, supremum deum eo nomine ab Italiae populis antiquitus cultum esse,

multa indicia sunt Romani enim preces et sacrificia ab eo auspicabantur (OVID. *Fast.* I, 172), et patrem proprie, et in Saliorum versibus deum deorum invocabant (HOR. *Ep.* I, 16. 59; cf. MACROB. *Saturn.* I, 9) Praeterea, rerum primordia ab eo ducentes, chaos et mundi conditorem praedicabant (OVID. *I. al.*). Idem dextra sceptrum, sinistra clavem gerebat (claviger), hanc anni et caeli moderator, illud fati adeoque belli et pacis arbiter; unde Romae templum ejus in bello apertum, in pace clausum manebat. Nec alia potius causa gemina facie (Janus biceps, bifrons: Cfr. VERG. *Aen.* 7, 180) finxere, ut plures opinantur, quam praeterita et futura sive cuncta videntem significantes (cfr. OVID. *Fast.* I, 114). Siquidem, monumenta, quae frequentius occurunt, Janum bifrontem ostendunt, ita, ut junctis a tergo capitibus, vultus hinc, vultus inde, promineat, et quidem utrumque caput barbatum. Ita autem pingitur, ut Plutarchus ait, quia cum Graecus Perrhaebiae natus esset, in Italiam venit, inter barbaros sedem posuit, linguamque et vitae genus mutavit; vel quia Italis tunc ferocibus agrestibusque persuasit, ut, mutatis moribus, agriculturae incumbarent, et politiore vivendi rationem paterentur. Alii duplice facie duplice notitiam, praeteriti scilicet et futuri significare censem. Qui pro Sole ipsum habuerunt, bina capita, orientem et occidentem, denotare putant. Nec desunt, qui arbitrantur, Janum, qui semper annum incipiat, altero vultu vertentem, altero sequentem respicere: quae sententia prae ceteris plerisque arridet. Janus igitur frequentiore usu biceps conspicitur, cui nonnumquam prora navis additur; quod naves et scaphas primus excogitasse creditur. Coronarum quoque primus inventior dicitur, nummosque aeneos primus eudisse. Hinc factum esse nonnulli volunt ut in Graeciae, Italiae, Siciliae civitatibus nummi duplice capite insignirentur, qui in postica parte vel coronam, vel scapham, vel navem referunt. Denique, inter Jani cognomina etiam Junonius, Consivius, Quirinus, Patulcius, Clusivius, alia (vide MACROB. et OVID. *I. al.*). Sacrificia Jani, ut Vestae, sine sanguine; melle, farre, sale sacerdotes placabant (OVID. *Fast.* I, 128).

Hi sunt dii Romano um praecipui, id est, qui non Graecae originis, sed indigenae revera visi sunt. Idem de aliis multis, licet minoris momenti, judicandum, quos infra profunditorie tantum attingemus.

LEO M. SANSEGUNDO,  
Monachus Montiserrati

# Nova et Vetera

## De re athletica

Rogatu moderatoris optimi hujus praeclarae ephemericis Latinae rem tractaturus sum horum temporum maxime propriam: Dico id, quod voce internationali *sport*, nuncupatur (1). Vocem autem *sport* a sequioris Latinitatis verbo «disportandi» procedere ac «disportare» idem significare, quod classicum «se oblectare», «animum oblectare» rei periti dicunt. Nomen substantivum est *disportus* quartae declinationis, qui varia complectitur animum ludis oblectandi et corpus exercendi genera. Nostra memoria sub *disportu* intelliguntur variae oblectationes ludicrae cum corporis in propatulo exercitationibus conjunctae regulis quibusdam sibi quisque agnitis, atque hac parte opponuntur adversa fronte *gymnadi*, quae in palaestris peragitur. In qua re quod quisque usque perfectiora affectat et sui naturam exhibere intendit, fit, ut singuli super ceteros eminere studeant et reapse emineant. Atque optimus quisque novum constituere avide avet primiceriatum. *Disportui* vero, qualis corporis exercitationum forma saeculo XIX decurrente exstitit, cum in juvenum corporibus roborandis animisque formandis multum possit, in scholarum quoque educatione physica attributus est locus. Sic ludicra, natatio, athletica levis ad ingenii contentiones quodam modo compensandos atque ad animos relaxandos in rationem scholarum sunt introducta. Sed cavete ne nimium tribuatis rei athleticae. Insunt enimvero pericula animi culturae maxima. Proinde *disportum* colentes semper prae oculis habete illud Ciceronis monitum libro de officiis 1, 23, ubi christianorum et ethnicorum de moribus doctrina mirum in modum convenit, dilucide planeque dicentis: «Exercendum corpus et ita afficiendum est (2), ut oboedire consilio rationique possit in exsequendis negotiis et in labore tolerando. Honestum autem id, quod exquirimus, totum est positum in animi cura et cogitatione».

Quoniam vidimus, quid sit *sport*, et quantum res athletica in hominum educatione haberet momentum, ac quatenus sit colenda, jam quaeritur, quomodo id, quod *deporte* vocatur, Latine reddendum sit. Nam adhuc controversiam de hac quaestione tacite dissimulavimus. Videamus.

Varia nomina ad rem denotandam annis volventibus a viris doctis proposita sunt. Evidem rem anno 1938 in *Societate Latina Monacensi* primum audacius aggressus sum.

Tum scripseram: Sit igitur *Sport*: «gymnica, gymnas, ars exercitatrix»; *Sport treiben*: gymnada exercere, colere, artem exercitaticem colere»; *Sportsmann*, «vir gymnicus»; *Sportzeitung*, «ephemeris vel diurnale gymnicorum». Re denuo perpensa sententiam tum pronuntiatam sic retracto: «Gymnas, adis, f.», substantivum ad eam rem significandam, quae *gimnasia* ab Hispanis

(1) Ad rem confer *Soc. Lat.* 1938, p. 19; *Soc. Lat.* 1939, p. 48; *Soc. Lat.* 1941, p. 25.

(2) I.e. tractandum aut assuefactendum.

appellatur, unum aptum esse videtur, expunctis *gymnasticus* et *gymnicus* quippe quae suapte natura sint nomina adjectiva et in solo genere masculino substantive ponantur. «Gymnici ludi» et «ars *gymnastica*» ad summum eae sint corporis exercitationes, quas maxime feminiae et puellae ad valetudinem fovendam atque augendam peragunt, ut *gymnas* exsistat veluti notio superordinata. *Gymnas* vero in duo dispescitur genera, quorum unum in solo fit, alterum apparatus exercetur. Quae exercitia a *progymnasta* praeeuntur, ceteris spectantibus. Tum qui spectaverunt exercitia imitantur pro viribus, *progymnasta* corrigente quidquid corrigendum est.

Aptum autem vocabulum quaerens ad eum denominandum, quem Hispani *entrenador* dicunt, nihil aliud inveni nisi «exercitatem», cuius nomen actionis est in lexicis «exercitatrix»: *entrenamiento*. Sic etiam «exercitatrix» pro *deporte* excidit.

At quonam modo tandem nuncupetur Latine ea, de qua agitur res? Supra demonstravi *deporte* in media Latinitate esse «disportum», et a verbo «disportandi» promanavisse. Nonne e re nata esse videtur «disportum», vocem apud omnes gentes humanitate exultas usitatam, quamvis vox sit infimae Latinitatis, in hujus aetatis Latinitatem perspicuitatis causa recipere et civitate donare? Neque enim puto nos usum linguae Latinae restaurantes fas esse exiguis Latinitatis classicae finibus circumscribi aut ulteriorem ejus sermonis neglegere progressum.

«Disportū» vero detrectatores, fortasse vocis barbarie offensos, oro, ut Desiderio Erasmo, cuius viri in hac re auctoritas non impugnata inter omnes constat, aures praebeant in libro, qui *Ciceronianus* inscribitur, jure meritoque dicenti: «Ab istis (i. e. ab eis, qui ita censeant M. Tullium adamandum, ut a ceteris abhorreas) veluti a peste cavendum, qui clamitant esse nefas uti voce, quae non reperiatur in librī Tullianis. Posteaquam enim jus Latini sermonis desit esse penes vulgarem sermonem, quidquid vocabulorum deprehendimus apud idoneos scriptores usurpemus nostro jure, cum opus est, et si durius obsoletum videtur, quod a paucis sit usitatum, nos in lucem proferamus crebraque et tempestiva usurpatione molliamus. Quae tandem invidia sit, cum veteres Graecorum voces mutuo sumpserint, quotiens Latinae vel deerant vel minus significantes habebantur, nos, ubi res postulat, a dictionibus, quas apud probatos auctores comperimus, temperare?... Absit a nobis fastidiosa morositas... Si barbarum habetur quidquid est novum et recens natum, nulla vox non fuit aliquando barbara». Quod judicium qui sequi nolunt, eis propono: «res *athletica*» aut «*athletismus*», quam postremam vocem hujus aetatis Graeci in sermone litterario adhibent, cum de *sport* loquuntur. Ad meam sententiam etiam Litterae encyclicae de christiana juventutis educatione voce, quae est *athletica*, in nostro sensu accepta accedere videntur.

Ludicas corporis exercitationes, quae quibusdam placuerunt, nimis puto diffusas esse atque instar habere definitionis. In sermone autem ad usum

commodo quaerimus vocabula fixa, non vagas circumscriptiones. Minus igitur mihi probantur. Sunt enim tantum *Leihesübungen* - ejercicios corporales, nihil ultra. In qua re etiam adjectum «ludicrae» non facit momentum.

Quae si recte disputata sunt, haec pro deporte nacti sumus nomina: •res athletica, athletismus, disportus, us, m. Hac ratione etiam viris elegantiam quandam dictionis affectantibus satisfecisse mihi videor. Rebus ita comparatis in universum nobis de *sport* loquentibus «re athletica» contentis esse licet, sed varia rei athleticae genera singulatim tractantibus athletismus et disportus praesto sunt. En exempla:

<i>automóvilismo,</i>	autocinetismus
<i>deporte de esgrima,</i>	athletismus aut disportus baituialis
<i>aviación deportiva,</i>	volatorius
<i>ciclismo,</i>	bírotalis, cyclismus
<i>deporte hípico,</i>	hippicus, equester
<i>deporte náutico,</i>	remigatorius
<i>deporte de natación,</i>	natatorius
<i>deporte de esquí,</i>	chionodrómicus
<i>deporte acuático,</i>	aquatiacus
<i>deporte de invierno,</i>	hibernus

Restant *deportista*, *club deportivo*, *revista deportiva*. «Vir gýmnicus» pro *deportista* reicio et in ejus locum volo substitui «rei athleticae studiosus, athletismi, disportus fautor, fautrix, cultor, cultrix». Etiam «philathlos» tolerari potest. *Sportzeitung* - *revista deportiva* - «recensio rei athleticae, recensio disportiva». Nec vero hoc adjectivum «disportivus» in sermone ad usum commodo neglegendum esse censeo. *Sportklub* - *club deportivo* - «sodalicium athleticum, sod. disportivum».

Postremo accipiant qui ludicris exercendi delectantur et linguae Latinae usui student, haec cum *gimnasia* et *deporte* composita vocabula.

<i>equipo de deporte, ornatus athleticus</i>	antideportivo, a re athletica alienus, a philathlorum moribus abhorrens
<i>páginas deportivas, auctarium athleticum (actorum diurnorum)</i>	<i>gimnasia</i> , <i>gymnas</i> , <i>ars gymnastica</i>
<i>deportivo, athleticus, disportivus</i>	<i>gimnasta</i> , <i>gymnastes</i> , <i>pluraliter etiam exercentes</i>
<i>deportista, philathlos, rei athleticae studiosus</i>	<i>gimnástico</i> , <i>gymnasticus</i>
<i>aficionado al deporte, rei athleticae amator</i>	<i>gimnasio</i> , <i>gymnasium</i> , <i>palaestra</i>
<i>profesor de educación física, professor rei athleticae</i>	<i>camisa de gimnasta</i> , <i>inducula gymnastica</i>
<i>campo de deportes, campus athleticus aut disportivus</i>	<i>calzoncillo o pantalón de gimnasta</i> , <i>campestre</i>
<i>traje de malla, macula</i>	<i>profesor de gimnasia</i> , <i>praeceptor palaestricae artis</i>
	<i>zapatos de gimnasia</i> , <i>calcei palaestrici</i>

Haec hactenus. In proximis fasciculis, Deo favente, singula deinceps disportus genera adjectis vocabulis ad rem pertinentibus fusius tractabo.

Valete ad redditum!

JOSEPH HOLZER, Rector

## Appendix ad Demetrium “de elocutione”

Opportunum et aptum videtur esse has quoque animadversiones de Demetrio adjungere. Auctorem enim libri «de elocutione» Rhys Roberts, philologus Britannicus, in editionis praefatione (collectioinis *Loeb Classical Library*) pg. 271 illum Demetrium Tarsensem grammaticum, quem Plutarchus «de defectu oraculorum», 2, laudat, constituere studuit. Demetrius iste Tarsensis, quod casu in Britannia, patria philologi Rhys Roberts, versatus est, librum de elocutione scripsisse debet, ut ille Roberts parum recte existimat. Nam Demetrius ille Tarsensis nihil nisi grammaticus fuit; numquam artem rhetoricae docuit; neque enim unquam grammaticus quisquam antiquus artem rhetoricae composuit, quoniam officia grammatici et rhetoris distincte separata erant, cum grammaticus elementa et fundamenta scribendi et legendi institueret, rhetor vero compositiones et orationes perfectas deceperet. Quapropter ille Demetrius Tarsensis, cuius operum nulla mentio fit, ne auctor quidem libri de elocutione haberi potest.

Rhetor contra fuit Demetrius Alexandrinus, quem aequalem suum Galenus commemorat. Anno p. Chr. n. 161 Romae Galeni demonstrationi anatomiae Demetrius Alexandrinus aderat, ut ex Galeno (2, 218 Kuehn) concludi licet.

Accedit quod Aulus Gellius in opere, quod inscribitur «Noctes Atticae», eandem doctrinam de arte critica (cf. VI, 14) profert ac Demetrius Alexandrinus «de elocutione». Atqui Gellius (= scriptor Romanus) et Demetrius (= Graecus) aequales (eodem fere anno p. Chr. n. 120 nati) discipuli ejusdem sophistae bilinguis Favorini Arelatensis fuerunt; ergo ab eodem fonte Favorino artis criticae praecepta acceperunt et eadem ratione propagaverunt. Quo modo factum est, ut hodie etiam Favorini doctrinam de arte critica in libris Gellii et Demetrii Alexandrini recuperare possimus. Cum autem Gellius et Demetrius inter se de arte critica consentiant auditoresque ejusdem magistri Favorini tuerint, luce clarus est Demetrium quoque Alexandrinum saeculo p. Chr. n. altero vixisse.

Praeterea Favorinus philosophiam Aristotelis summo studio sectabatur, ut affirmit Plutarchus in «quaestionibus convivalibus» VIII, 10, 2. Etiam Demetrius Alexandrinus in libro «de elocutione» saepe vestigia Aristotelis (et Theophrasti) sequi videtur, id quod documento esse potest Demetrium etiam philosophiam Peripateticam a Favorino Athenis suscepisse.

Deinde observari potest ex Galeni locis hunc medicum et philosophum Pergamenum Romae consuetudine complurium sociorum Favorini usum esse et cum iis de rebus philosophiae disputasse; quin etiam esse veri simillimum Galeni primo adventu Favorinum ipsum quoque Romae vivum fuisse et Galenum juvenem cum ironia, arrogantia, studio contra Favorinum aetate gra-

vem opusculum illud «de optimo genere docendi» composuisse putamus.

Demetrius Alexandrinus, qui librum «de elocutione» scripsit, etiam a Diogene Laërtio V 84 commemoratur, ubi Diogenes haec refert, quae hoc loco solum ex Cobeti translatione latina laudantur:

«Fuerunt autem Demetrii memorabiles viginti... octavus sophista, qui moratus Alexandriae artes oratorias scripsit».

In hoc textu duo vocabula explicatione accuratiore signanda sunt; primum est vox, «sophista», unde patet Demetrium quicque Alexandrinum eodem pacto ac magistrum ejus Favorinum «sophistam» appellatum esse. Demetrius igitur etiam philosophiae (Peripateticae) partes docuit.

Secundum est verbum «moratus» (*διατρίψας*), quod Graece duas significaciones habere potest, nempe 1. morari (=tempus agere) et 2. scholas habere (=docere); hoc ipso loco Diogenis V 84 «diatrispas» simul has duas notiones continet; non recte igitur Cobet participium (= diatrispas) latine sola voce «moratus» transtulit.

Demetrius quidem rhetor et sophista Alexandriae natus adulescens ibi litteris navavit operam; deinde Athenas et Romam studiorum causa sese contulit, ut Favorini scholas primo Athenis audiret posteaque Romam eum comitaretur et ibi eandem praceptoris doctrinam (*ἰδέαν*) proferret. In hac urbe Demetrius anno p. Chr. n. 161 inter alios viros etiam Galenum medicum et philosophum cognovit ejusque demonstrationi anatomicae aliquando interfuit; ergo Demetrius ille non semper Alexandriae versatus, sed in alias quoque terras urbesque profectus est; idcirco ista vox «moratus» (= diatrispas) solum ad partem quandam vitae, non ad totam Demetrii aetatem, quadrare potest. Demetrius ipse Favorino Romae (circa annum p. Chr. n. 161-162) mortuo Alexandriam redisse denuoque ibi usque ad vitae finem moratus esse potest.

Praeterea vocabulum illud *διατρίψας* hoc loco alteram quoque notionem complectitur, quae significat «scholas habere». Alexandriae vero Demetrius Favorino mortuo non modo moratus est, sed etiam pracepta rhetorica edocuit; Demetrius igitur primo Romae, deinceps Alexandriae artem oratoriam instituit; scholis habitis disciplinam oratoriam, ut in libro «de elocutione» exstat, Alexandriæ postremo conscripsit. Diogenes autem Laërtius V 84 ex auctoris cuiusdam notis ad Demetrii Alexandrini rhetoris et sophistae vitam pertinentibus verbum *διατρίψας* suscepit, quod ad posterius tantum tempus commemorationis Alexandriae convenit. Diogenes Laërtius solum partim et cursim res hujus Demetrii biographicas excerptisse ejusque partem vitae Athenis Romaeque peractae omisisse videtur.

Cetera omnia Diogenis de Demetrio Alexandrino dicta jure ad auctorem libri «de elocutione» circumscribendum bene apta putantur. Hoc tandem modo Galenus et Diogenes Laërtius figuram Demetrii Alexandrini rhetoris et sophistae jam multo clariorem et certiorem nobis reddiderunt. — EMIL ORTH.

## FABELLA ALBIUS LONGUS SIBI SOMNIA FINGIT \*

Multis quoque casibus et periculis exposita est nautarum vita. Quot enim navigia tempestatibus arrepta, minantibus fluctibus jactata, gubernaculo quandoque perfracto, saxis illisa vel ignoto aut non satis cognito litore depressa sunt!... Quot etiam oppressit obruitque in perpetuum instar montis conglaciata moles! (1). Caput hoc testor, si quid est in me fortunae, me nunquam nautam fore. Qui gloriam quam otium, famam quam pacem malunt, ulti pericula adeant viresque in eis perferendis sponte consumant. Vitam ego tranquillam paefero. —Breviter, mercaturam ipse sequar.

Quo initio consilio, assurgit Albius, thoracem penicillo (2) detergit globulisque religat (3); petasum coactilem (4) induit caputque obtegit ac foras se proripit. Dum singula dextra laevaque explorat per viam ambulans, ad vestium tabernam (5) se confert quae optatis respondeat et sententiae suae. Neque multo post, quae sibi arrideat, invenit. Munda a sordibus sibi visa est domus ferme in quadrum ducta, circiter XII pedes latitudine complectens ac parva instructa aedicula (6). En sane quod quaero, inquit. Tabernam conjunctam est ingressus, quam ciniflo, seu tonsor, incolebat, pccerus homo ac strigosus, calvo capite, subdola facie, curiosis oculis: a quo, ut coram domino eum sisteret, expostulavit. Neque tamen annuit ille quin multa ab eo quae reret multaque ei aperiret de taberna postremo inquilino, quodam Pane nomine, speculario (7), cuius uxori tres erant feles — nam mures et sorices mirum in modum formidabat—; addidit praeterea horum illic multitudinem abundare, cum prope adesset caseorum venditor; haec sibi dilucide constare, quandoquidem decem abhinc annos commorandi sibi locum ibidem obtigisse. Postremo domini —cui nomen Publius—, manifestaria (8) tradidit, ac futuro vicino civi pectinem, novaculam, cetera officia pollicitus, eum dimisit. Cum autem Johannes discederet monuit, ne —si quis taberna visendae gratia intraret— ad dominum accedere sineret.

Hominem garrulum cum devitasset, recta petit tabernam in angiporto (9), modico intervallo interposito, sitam dominumque adiit. Pulsanti fores, venustae famulae opera, continuo apertae sunt. —«Adest domi dominus Publius?», quaequivit ab ancilla. —«Profecto adest. Ingredere porro». Per artum inde xystum pergens, ante portam constitit quae media patuit, et caput illa intro prodiens: «Adest, inquit, foras qui te conventum cupit, domine». —«Hic adsit», rauca et aspera voce responsum est; itaque admissus est Longus coram ero, sene jam homine ac torvo vultu, qui ad fumarium (10) sedens, pileum nocturnum et soleas gestabat. Ei puer assidebat, qui frustum panis butyro conditum in dextra et in sinistra funiculum retinebat, a quo globulum, quo parvus felis luderet, suspenderat.

*Ad proximum num.*

*Convertit RAIMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.*

\* Cfr. fasc. sup., p. 36. — 1. alud, témpano. — 2. cepillo. — 3. abrochar. — 4. de fieltro. — 5. tienda. — 6. trastienda. — 7. vidriero. — 8. dirección. — 9. calle extraviada. — 10. chimenea.

# Cursus gymnasticus

## DESCENDIMIENTO DE CRISTO A LOS INFIERNOS

Desciende, pues,<sup>1</sup> el noble triunfador<sup>2</sup> a los infiernos vestido de claridad y fortaleza, cuya entrada describe un santo<sup>3</sup> doctor por estas palabras: «¡Oh luz hermosa,<sup>4</sup> que, resplandeciendo desde la alta cumbre del cielo, vestiste de súbita claridad a los que estaban en tinieblas y sombra de muerte!»<sup>5</sup> Porque<sup>6</sup> en el punto<sup>7</sup> que el Redentor allí descendió, luego toda aquella eterna noche resplandeció, y el estruendo de los que lamentaban cesó, y toda aquella cruel tienda<sup>8</sup> de atormentadores tembló viendo al Salvador presente.<sup>9</sup> Allí fueron conturbados los príncipes de Edom (*Ex. 15, 15*) y temblaron los poderosos de Moab, y pasmóronse los moradores de la tierra de Canaán.<sup>10</sup>

Luego todos aquellos infernales<sup>11</sup> atormentadores, en medio<sup>12</sup> de sus oscuridades y tinieblas, comenzaron entre sí<sup>13</sup> a murmurar diciendo:<sup>14</sup> ¿Quién es éste tan terrible, tan poderoso<sup>15</sup> y tan resplandeciente? Nunca<sup>16</sup> tal hombre como éste se vió<sup>17</sup> en nuestro infierno; nunca en estas cuevas<sup>18</sup> tal persona nos envió hasta hoy el mundo.<sup>19</sup> Acometedor es éste, no deudor; quebrantador es, no pecador; juez parece, no culpado; a pelear viene, no a penar. Decidme: ¿dónde estaban nuestros guardas y porteros cuando este conquistador rompió nuestras cerraduras y por fuerza entró?

¿Quién será éste, que tanto puede? Si éste fuese culpado, no sería tan osado; y si trajera alguna oscuridad de pecado, no resplandecieran tanto nuestras tinieblas con su luz. Mas si es Dios, ¿qué tiene que ver con el infierno? Y si es hombre, ¿cómo tiene tanto atrevimiento? Si es Dios, ¿qué hace en el sepulcro? Y si es hombre, ¿cómo ha despojado nuestro límbo?<sup>20</sup>

¡Oh cruz, que así has burlado nuestras esperanzas y causado nuestro daño! En un madero alcanzamos todas nuestras riquezas y ahora en un madero las perdimos.

(Fr. LUIS DE GRANADA, *Libro de la oración y meditación*, p. I, c. 3, t. II; Cfr. BAC, *Obra selecta*, p. 869).

## CHRISTUS DESCENDIT AD INFEROS

Itaque nobilis ille triumphator claritate ac fortitudine ornatus ad inferos descendit; cuius ingressum his verbis quidam sanctus doctor describit: «O alma lux, quae ab excelsa caeli altitudine refulgens, eos, qui in tenebris et umbra mortis jacebant, repentina induisti claritate». Nam eodem temporis punto quo illuc descendit Redemptor, illa statim sempiterna illustrata est nox, et gementium clamor tumultusque cessavit, atque saevissima illa tortorum cohors, cum salutis Auctorem praesentem adesse viderunt, tota conterrita est. Ibi principes Edom conturbati sunt, potentes Moab contremuerunt, omnesque habitatores Chanaam metu obstupuerunt. Deinde omnes illi inferorum carnifices in ea obscuritate in iisque tenebris inter se murmurare coeperunt: Quis est hic tam terribilis idemque potentissimus atque fulgentissimus? Hominem hunc similem apud inferos unquam vidi mus neminem; in haec cava latibula ad hoc tempus nunquam mundus talem immisit virum; oppugnator, non debitor est hic; vixor, non peccator; iudex apparet, non culpae obnoxius; in pugnam venit, non poena afficiendus. Heus!, ubinam ergo custo-

des et janitores nostri erant cum hic expugnator nostra refregit claustra et per vim sese ad nos intulit? Quis hic qui tanta pollet potestate? Si culpa obstringeretur, adeo non auderet; quod si peccati caliginem afferret, hae nostrae tenebrae tanto ejusdem lumine profecto non collustrarentur. At, si Deus est, quid ei cum inferis? quod si homo, cur tanta fertur audacia? Si Deus, quid in sepulcro jacet? quod si homo, qua re lumen nostrum exspoliavit? O crux, quae ita spem nostram fraudasti atque damnum nostrum intulisti! In ligno quondam omnes divitias comparavimus, in ligno nunc omnes amissimus

## NOTAE

1) **pues:** *itaque*, quae particula ad significandum rem ex praecedentibus effluere usurpatur (cfr. CUPAIUOLO, *La versione latina*, p. 256, 24; ISSELE, *De Latinorum sermone*, n. 267), et initio orationis praeficitur (BERGER, *Stylistique lat.*, 153). «*Itaque ad fanum ex urbe tota concurritur*» (Cic. *Sign.* 43, 95)

2) **triunfador:** *triumphatorem* hoc loco adhibere possumus; quam vocem apud Minutum Felicem et Apulejum et in inscriptionibus saepe scriptam legimus

3) **santo:** de hac voce cfr. BACCI, *Varia Latinitatis scripta*.

4) **Oh luz hermosa:** *o alma lux*, quamquam adjetivum *almus* poetum est, tamen ab opere Ludovici Granatenis abhorrete minime videtur.

5) Animadverte verborum ordinem, quae ita in oratione distribuuntur ut primum si proponantur de quibus est sermo (*eos*); deinde si qui sint ex oratione relativa patet (*qui in tenebris jacebant*), tandem prima oratio intercepta finitur; ut autem maximam tribuas vim, adjetivum a substantivo, interposito verbo, disjungere potes, totamque orationem dichoreo eleganter absolves.

6) **porque:** *nam, enim*; «Ad probationem inducendam fere indiscriminatim utuntur conjunctionibus causalibus *nam* et *enim*» (ISSELE, n. 269).

7) **en el punto:** *eodem temporis punto*, «Saepe transfertur ad tempus et partem illius minimam, momentumque significat»; «*Nullo punto temporis intermissione*» (Cic. *Nat. D.* 1, 24), cfr. FORCELLINI, s. v.

8) **tienda:** *cohors*; «Sumitur etiam pro quacumque congregatione aut turba», FORCELLINI, s. v.: «*Cohors amicorum, canum, febrium, servorum, cohors Socratica...* (*Ibid.*)

9) **presente:** *praesens*: «qui adest, qui est

*in conspectu*: «Non quia *adest praesens* dico hoc» (TER. *Adolph.* 3, 4, 20). Disjunctiones verborum «*illa... sempiterna... nox*», et unius vocis *estruendo* in «*clamorem tumultumque*» conversionem —ut saepe apud Romanos fit—, interpositionem orationis «*cum salutis Auctorem viderunt*», et orationis clausulas *adesse visiderunt*, *tota cō/tērritā' st* perpendas velim. —Qua vero ratione vocem *Salvador* optime latine reddas cfr. KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus*, et BACCI, *Varia Latinitatis scripta*, v. s.

10) Hae orationes quadam concinnitate ornantur.

11) **infernales:** *inferorum*, adjetivum in genitivum substantivi permuteatur; cfr. «*omnium oculi* (*todos los ojos*), *dolor corporis* (*d. corporal*), *civium jura* (*d. civiles*)».

12) **en medio:** *in*, «*In summo otio maxima copia*» (Cic. *De fin.* 3, 2, 7), (cfr. GANDINO, *Lo stile latino*, V, 3, 8); *in* omitti potest cum adest pronomen demonstrativum.

13) **entre sí:** distingue *entre si* «*secum*» (cum animo suo) et «*inter se*» (alius alium).

14) **diciendo:** omitti potest.

15) **tan poderoso:** *idemque potentissimus*, cum substantivo, de quo jam adjetivum est praedicatum, alia adicitur qualitas diversa vel opposita, fere et *idem*, *idemque* adhibetur (cfr. GANDINO, *Lo stile l.*, XII, 1, 10; CUPAIUOLO, p. 253, 21): «*Q. Scaevola peritissimus juris idemque pércomis est habitus*» (Cic. *Brut.* 58, 212); «*Crassus eloquens fuit idemque juris peritus*». —*Tan poderoso* facile in superlativum convertere potes.

16) **nunca:** verborum ordinem animadverte et locutionem *nemo homo*: «*Nemo hominem homo agnosceret*» (Cic. *Nat. D.* 2, 38, 96); «*Ut nemo homo nisi hominis similis esse*» (Cic. *Nat. D.* 1, 28, 78).

17) **Se vió:** *vidimus*.

18) **cuevas:** *pelunca, specus et translate latibulum, latebra.*

19) **el mundo:** de hac voce cfr KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus*, v. v., et FORCELLINI; ex quibus mundum hoc loco adhiberi posse efficitur.

**decidme:** *heus, quae vox aere vocandi, admonendi, excitandi vim habet.*, cfr. FORCELLINI s. v. «*Sed heus tu quid agis?* (Cic. Fam. 7, 11) (pero dime, ¿tú qué haces?).

20) **limbo:** *limbus, qua sensu hanc vocem notatam in lexicis non reperties, eam tamen ecclesiastici scriptores adhibuerunt; cfr. Du CANGE, *Glossarium*, s. v. et BACCI, *Varia Latinitatis scripta*, s. v. — In iis, quae consequuntur, orationibus et verborum disjunctiones et in dicens concisionem et quandam membrorum concinnitatem et in fine orationis clausulas attento animo considera.*

JOSEPHUS M<sup>†</sup> MIR, C. M. F.

## PER ORBEM

**Latinitas.** — In commentariis et foliis diurnis pervulgatus est nuntius, auctio Sede Apostolica, in vulgus jam emissos commentarios linguae Latinae excolendae, qui ex officina Vaticana quarto quoque mense prodibunt. Commentarii LATINITAS inscribuntur.

*Res exponenda.* His de rebus LATINITAS disseret: 1. de bono et recto ac vitae christiana officiis; 2. de praecepsis latine scribendi, de grammatica, de verborum structura, de vincienda et ornanda oratione; 3. de novatis novandisque verbis; 4. de ratione et via linguam Latinam tradendi, et de libris in tironum usum editis; 5. inquiretur in classicae Latinitatis auctores, atque de humanitatis quasi renatis studiis et recentiorum agetur; 6. pariter documenta ecclesiastica perspicientur; 7. judicium fiet de libris vulgaris, qui ad rem spectent; 8. responsum denique quaestiones proponentibus dabitur.

Quae omnia lingua Latina exprimentur.

**LATINITATIS praestantia.** Non est cur multis extollamus utilitatem ac momentum horum commentariorum. In comperto enim est auctores commentariorum sibi proponere ut lingua Latina maximum capiat incrementum et in dies in hominum sermone atque usu plurimum valeat. Quare iis qui litterarum Latinarum integratii et elegantiae consulunt, praecipue sacrorum administris, maximam conferent utilitatem.

*Tantae rei molienda consilium* praeficitur virorum, qui in lingua Latina sunt versatissimi, ut: ANTONIUS BACCI, Antistes Urbanus, ab epistulis Pontificis Max. ad principes, *Praeses Consilii commentariis moderandis*; HAMLETUS TONDINI, Antistes Urbanus, alter ab Em. Viro diplomatis Pont. Max. expediens praeposito, *commentariorum Moderator*; et inter alios recensentur quoque PIUS CIPROTTI, doctor, Jos. DEL TON, scriba publicis Ecclesiae negotiis procurandis, VICTORIUS GENOVESI, S. J., hymnorum scriptor apud Sacrum Coetum religionis ritibus praepositum, AEMILIUS SPRINGHETTI, S. J., litt. Latin. Graecarumque doctor, cet.

*Primi libelli index:* A. BACCI, De horum commentariorum ratione et proposito. — CONSILII COMMENTARIIS MODERANDIS, De peculiari bus horum commentariorum rationibus et normis. — H. FUNAIOLI, Ad latinitatis cultores. — S. RCMANI, De commentariolo Alma Roma inscripto. — V. GENOVESI, S. I., Ad S. Mariam Annam lilium Quitense. — H. TESCARO, De Augustini matre in filii Confessionibus flente — I. B. PIGHI, Ad Divum Petronium. — A. GHIGLIOTTI, De Catulli carmine X, 28 sq. — I. DELTON, De vario purpureo colore apud Vergili um. — C. EGGER, De Caecilio Firmiano Lactantio Cicerone christiano. — H. TONDINI, Linguam latinam docere lentum opus. — AE. SPRINGHETTI, S. I., Quibus modis res novae latine sint interpretandae. — Ad propositas quaestiones responsa — Scripta recensita. (= 77 pag.).

Consilium commentariis moderandis sedem habet in Urbe Vaticana, ad quod dandae epistulae hisce verbis inscribantur: LATINITAS - Città del Vaticano - Roma. Pro commentariis sunt in annum solvendae: in Italia lib. 800 - extra Italiam lib. 1.200.

Vehementer optamus ut novi commentarii, litterarum Latinarum decus, maximum consequantur in campo Latinitatis fructum.

Salmanticae.

ISMAEL ROCA

**Studi Romani**, Rivista bimestrale dell'Istituto di Studi Romani, Piazza Cavalieri di Malta, 2, Roma. — Institutum Romanis studiis provehendis commentarium quoque alternis mensibus edendum in vulgus emisit; cuius opera et studio id plane sperandum est ut, veterum ac recentiarum rerum Romanarum investigatione ad exquisitorem Rcmam, communis patriae, cognitionem omnes perveniamus.

*Index primi fasciculi:* Premessa. — P. ROMANELLI, Problemi archeologici del Foro Romano e del Palatino. — S. RICCOBONO, Roma mater omnium humanarum legum. — F. ARNALDI, Ricordo di Vincenzo Ussati. — A. GUERCIO, Feriae Anticolenses. — P. PASCHINI, Una predica inefficace — P. P. TROMPEO, Cercasi donna grassa (Personaggi romani in un romanzo

di Stendhal). — V. TESTA, Un quartiere modello nella Roma moderna. — Q. TOSATTI, Aspetti e problemi della vita culturale romana. — G. PACITTI, Il latino «lingua viva»; 1.º Del neologismo — P. BREZZI, Roma medioevale. — F. FONZI, Ottocento romano. — Problemi della Roma d'oggi. — Cronache, cet. (= 114 pag.).

Cl. virum Quintum Tosatti, Instituti Praesidem, ceterosque socios, maxima prosequimur admiratione dum amplissima de tanto opere emolumenta exspectamus.

**Congressus Internationalis Linguisticae Romanicae.** — Praestantissimi viri, qui apud omnes gentes eam, quam vocant Linguisticam Romanicam, colunt, Barcinone a die septimo ad decimum m. aprilis congregati sunt, qui de ea scientia ample et erudite pertractarent.

Egregii magistri disputatione: de veteri linguarum Romanicarum fundamento (in scripturis Pompejanis, Väänäen) de elementis — In linguis Romanis immixtis — prae-Romanis (Tovar, Coromines, Bertoldi, Carnoy, Hubenschmid, Flutre), de ecclesiasticis (Rheinfelder, Marsá), de «Mozarabicis» et arabicis (Sanchis Guarner, Millás), de toponymia et anthropo-

nymia (Mateu, Pujol, Piel, Serra, Badía, Marsá, Lejeune), de relationibus lexicis romanis (Nauton), de vulgi sermonibus Pyrinaeis (Rohlf, Caro Baroja, Alvar); alia pariter disceptata sunt de praeceptiva, syntaxi, Romanica, geographia linguistica et in primis de lingua Catalana (Gríera, Moll, Badía), cet.

PALAESTRICUS

# Bibliographia

GUSTAV SCHWAB. — *Las más bellas leyendas de la Antigüedad Clásica*, traducción de la cuarta edición alemana por Francisco Payarols. Editorial Labor S A.. Barcelona.

Titulus hujus luculentis voluminis jam ex sese ejusdem finem proferre natus est: tamquam fasciculus nempe praecipuarum rerum est, cognitu vero dignarium, quae apud scriptores pristinos classicarum litterarum perhibentur.

Liber adulescentibus et ephebis praecipue dicatur, quorum quidem cum phantasia tum memoria his commodius imbuetur notionibus cultus antiquitatis. At omnes tamen litterarum humaniorum cultores hoc in libro lectionem ad erudiendum idoneam atque eam dulcem haurient, qua animum ingeniumque colant. Haec vero editio Hispanica magis magisque ad textus primigenit fidem redacta est, quo ejus pondus criticum augetur et amplificatur.

Volumen dividitur totum in partes quinque. I. Metamorphoses et Fabulae minores (pp. 3-270). Fabulae Trojanae (pp. 273-516) III. Superiores Tantalides (pp. 519-553). IV. Odyssaea (pp. 557-677). V. Aeneas (pp. 681-758). Consequitur denique brevis tractatus Mythologiae et Theogoniae Dris. Julii Wolf (pp. 761-778). Et copioso indice alphabeticō (pp. 779-792) totum finitur opus, quo certe facilior usus hujus pergrandis operis redditur.

M LAVARENNE. — *Prudence, Tome IV. Les Belles Lettres*, 95. Boulevard Raspail. Paris VIe. 1951.

Humanitatum in genere cultores in primisque vero Poëtae christiani Prudentii magno scilicet gaudio animoque grato hunc suscipient perlegentque librum Dni. Lavarenne, qui adeo mentem in lectione, studio explicatione que operis litteraril Prudentii nostris diebus

intendit. Hoc volumen, quartum ordine tria offer opera sequentia: Peristephanon, p. 19; Dittocaeon, p. 201; Epilogus, p. 217. Textus Latinus altera, altera vero in pagella translatio adest Gallica.

Ad accuratorem textum stabilendum, cl. scriptor opera prae oculis habuit Dni Bergman, egregii editoris Prudentii. Interdum quoque textum Heinseensem, perspicuitatis ergo adhibet. Opus magna quidem cura, et technica et litteraria et typographica, elaboratum appetit Collectionemque Universitatum Gallicarum plane honore afficit. Apparatus criticus, etsi parcus astrictusque, ad nostra usque tempora est relatus, una cum bibliographia Prudentiana. Praeter notulas ad pagellarum calcem non nullas, aliae 208 in fine libri inveniuntur, quae totam Prudentii mentem ejusdemque scriptorum proferre intendunt Maxime igitur PALAESTRAE nostrae lectoribus opus commendamus, ubi et spiritum et poëtam et scriptum callebunt, scriptore hac in re vere perito atque versato duce.

CHARLES ROSET — *Cahier de Grammaire Latine*. Les Éditions de l'École.

Potius quam de libro, quod titulus ipse profert, de codicillo ad usum discipulorum linguae Latinae agitur. Duabus in primis paginis index praeest rerum praecipuarum totius Grammaticae Latinae. Quae admodum sunt sexaginta et septem quaestiones, quae quidem in totidem paginis, quasi in compendium redactae, alumno scriptione evolvendae commendantur. Atque plus quam media codicilli pars ita est disposita, ut in eadem scripto mandentur propositae quaestiones exemplaque varia respondentia componantur.

Quocirca juge est exercitium, quod non poterit magno non esse emolumen to tironi Latinitati studenti Fortasse et ea via et ratio, in docenda arte scien-

taque linguae Latinae, nostris in collegiis lycelsque accommodari possit. Ideo hunc Codicillum Grammaticae Latinae a lectoribus evolvi operae pretium fore duximus.

MAX NIEDERMANN. — *Historische Lautlehre des Lateinischen*, Dritte neu bearbeitete Auflage. Carl Winter — Universitätsverlag — Heidelberg, 1953.

Est brevis, isque concinnus, tractatus Phoneticae historicae Latinae linguae, in usum prae primis alumnorum in collegiis lycelsque institutionis secundariae. Atque adhibetur tamquam praeparatio idonea, ad ampliores callendos tractatus philologicos comparativos, elaboratos a Meillet et Vendryes, Sommer, Stoltz et Schmalz, cet.

Expositio doctrinae est vere perspicua et ad adolescentium mentes plane accomodata. Ex quo minime mirum, si liber primum Gallica lingua exaratus, conversus illico est in Germanicam, Anglicam, Batavam, Hispanicam, Russicam. Haec vero tertia editio est translationis Germanicae.

Omnis certe doctrina artis Phoneticae, ab hodiernis scriptoribus ut plurimum exigitata, facili ordine dispescitur in 189 libri paginis. Consequitur recens bibliographia, index scriptorum Latinorum, accuratissimum vocabularium verborum in opere disputatorum.

Liber conscriptus est a cl. Niedermann, primis hujus saeculi annis. In sequentibus vero editionibus et translationibus in mellius quidem redactus est. Ex quo patet longam ei tribuendam esse expertiam, quam omnino acceptam innumeris paene lectores hujus modi compendii Phoneticae historicae Latinae Linguae asserunt. Liber totis viribus commendandus his, qui quidquam in re phonetica de Latinitate sapere cupiant.

SAMUEL GILI GAYA. — *Compendios Vox de divulgación filológica*. Publicaciones y Ediciones Spes, S. A. Barcelona, 1952.

In uno pulcro volumine quattuor habes breviora opuscula, quae in totidem quoque fasciculos veneunt. Omnia ad eumdem finem vergunt: ad lingam Hispanicam discipulis tradendam, quadam vero novitate, commoditate, brevitate.

Primo est titulus: *Ortografía Práctica*. In eo, per summa capita, exponitur usus litterarum, separatio syllabarum, accentus, signa interpunctionis breviationes. Denique vocabularium vocum dubiae scriptiois adjungitur. Sunt paginae admodum centum.

Altero opusculo est titulus: *Resumen práctico de Gramática Española*. Ex uno titulo satis jam constat rem evolvendam, quae quidem 109 paginis raptim nitide que ab scriptore recolitur.

Tertium opusculum Inscríbitur: *Nociones de Gramática histórica española*. Ibi totidem fere paginis evolvitur phonetica descriptiva, phonetica historica; et summatis partes orationis faciliter sermone explicantur.

Quartum opusculum est: *Iniciación en la historia literaria española*. Uno paene calami tractu exponitur historia linguae Hispanicae aeo medio, aetate aurea, saeculo XVIII; et non nulla adduntur de Romanticismo ac de «Litteratura» hodierna.

Certo certius agitur de compendiosis, rite inter se dispositis et conexis, quae cum brevitate tum concinnitate naturam linguae Hispanicae deplendendam nata sunt.

GABRIEL SANTOS, S. J. — *Florilegio latino*. Biblioteca Comillensis. Administración de «Sal Terrae», Apartado 77, Santander.

Terminos seu fines quasi amplificare in hodierno studio auctorum classicorum: en tibi finis hujus modi florilegii seu anthologiae Latinae, clarissimae Bibliothecae Comillensis. Atque re ipsa selectus est manipulus scriptorum Latinorum, qui maxime scholari in alumnorum usu conferet Latinitati penitus ad-

discendae. Hic vero liber praecepue dicitur alumnis curriculorum superiorum: ex quo notulae numero nisi breves non adhibentur, quamquam eae apprime excogitatae inveniuntur. Scriptorum autem ampliora capita eaque praecepua ac notiora complectitur cl. G. Santos, que profundius ad formam stili, quam ad elementa sermonis philologica grammaticalia attendere videatur.

Adhibentur quidem in libro selectiora scripta Historicorum. Sallustius, p. 9; T. Livius, p. 31; Tacitus, p. 115. Sunt etiam quaedam Philosophorum scripta: Plinius Junior, p. 209; Seneca, p. 245. Denique non nulla Poëtarum: Plautus, p. 285; Terentius, p. 351. Martialis, p. 361; Prudentius, p. 377. Sunt enim vero auctores adhuc nostris in scholis collegisque minus usitati; eorumdem tamen, intentum studium haud minus quam ceterorum, purioris Latinitatis, scriptorum proderit in litterarum humaniorum cultu.

HERMAN STEUDING. — *Mitología Griega y Romana*. Traducción de J. Camón Aznar. Séptima edición. Editorial Labor, S. A. Barcelona.

Hic Dris. Steuding liber specimen vere est perspicuitatis atque concisionis, in hoc Mythologiae argumento pertractando. Superiorum cultor indefessus de re investigationum, magnum ille attribuit pondus doctrinae, Idque merito, origini exordioque diversorum antiquitatis mythorum.

In duas natura partes scitum opus dividitur: in altera de Mythologia Graeca agit cl. scriptor, in altera de Romana. Non nulla delibantur de religiosae fidel institutione populi Graeci ac de cultu divinitatis, pp. 9-20 Deinde ipsa religio, Graeca, ab initio temporis Homericis, recolitur, pp. 25-116. Tum disseritur raptim de poësi heroica, pp. 119-166.

In altera libri parte, ea breviore

quidem, cum Romana ut plurimum pendeat a Mythologia Graeca, de characteribus religionis gentium Romanarum disputatur, pp. 186-214. Consequitur denique bibliographia, index alphabeticus non nullaeque tabulæ pictæ. In Mythologiae provincia jamdiu classicae habitæ, pp. 219-231. Liber, quod omnes «Collectionis Labor», vero nitore et pulchritudine typographica commendatur,

II. DEPHONSUS GONZALEZ, C. M. F.

PAOLI - POHL. — *Primus liber*, édition française. Maison d'éditions Ad. Wémael-Charlier. Namur, 1950.

Professor J. Pohl Gallice edidit opus quod Dnus. Henricus Paoli rationi vividae Latine docendi consulens in commodum puerorum Italorum exaraverat. Liber, qui se ipse satis meritoque commendat, ubi primum in puerorum manus accessit, horum illico devincit voluntatem, praesertim cum textus classicorum scriptorum haud longos plerumque praebeat atque concinne distributos vividoribusque imaginibus ornatus quae passim urbanos sales leproresque adspergunt.

Omnis igitur virtus methodi et rationis professoris Paoli in eo est sita ut jucundum ac festivum studium sermonis Latini efficiat alumnis quibus non multum aridae series seu columnae exercitorum arrident.

Volumen enim fabellas, ridicularia, aenigmata puerilia, carminia ludibunda, sententias, narratiunculas aliaque notabilia continet.

Itaque Dnus. Paoli quasi per jocum docens risumque movens puerorum, hos facile in Latinorum sermonem et classicam antiquitatem inducit quam sagissime et acutissime investigavit.

Quisnam ergo e nostris professoribus navabit operam Hispanice edendo operi quod pueris Gallicis Dnus. Pohl, adeo laudabiliter aptavit?

MARIANUS MOLINA, C. M. F.